



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De morte Sigeri monachi, cap. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

huc supersunt. APOLLONIVS: Prosequere obsecro re-
sidua, quia tanto sunt audientibus gratiora, quanto
tuo testimonio recenter gesta scripto sunt mandata.

CAPVT IV.

CÆSARIVS:

Fuit in eadem domo monachus sacerdos, nomi-
ne Sigerus, ætate iuuenis, & amator ordinis, suū
corporis seuerus castigator, qui inter cætera vir-
tutum opera, sanctam Dei genitricem ardenter dili-
gebat, & quibus poterat modis, alios ad amorem eius
accendebat. Cùm autem accessionis suæ hora immi-
nebat, eo q̄ infirmaretur, & languor esset fortissimus,
quidam Conuersus, magna Dei gratia prædictus, quē
Dominus secretis consolationibus suis frequenter
consolari dignatur, huiusmodi visionem vidit: Visa
est ei tabula defunctorum pulsari, & ire cœpit ad mu-
niēdum fratris exitum: & fortè transitum habens per
palatum operis mirifici, inuenit residentem in eo
matronam reuerendæ dignitatis, cuius facies ange-
licam præferebat gratiam, & niueum indumenta ca-
dorem. Harebat igitur defixis in eam luminibus, cer-
tus tam desiderabili personæ diuinum numen inesse:
denique tantæ diuinitatis præsentia ausum præbēte,
propius accidit, non metuens offensæ periculum, &
familiariter verba conserit, dicens; Amantissima do-
mina, quid causæ habes ingredi ad nos, cùm hoc non
sit licitum matronis? Et illa: Speciali, inquit, jure fun-
gor in domo ista, & venio visitare familiares & dome-
sticos meos. Et ille, piam pro fratribus gerens solici-
tudinem, ait: Ecce fratres nostri viritim decedunt, iu-
uenes, & senes, & mediocres, & non est personarum
acceptio: quid inde nobis faciendum est? Et illa: De-
betis decantare, Te Deum laudamus. Cùm plura re-
sponderet, hæc tantum verba retinuit vir simplex &
sine litteris. Interim verò pulsata est tabula, & cessa-
vit visio figuratiua. Credimus piam Dei genitricem,
vtpote matrem misericordiæ, fideli suo in morte non
defuisse, & tale judicium aduentus sui dedisse.

C A

